



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Omnium error.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

eorum sententia plane acquiescere. *Projicere calceum*, pro *immittere pedem*, phrasi Hebraica dici notat Vatablus, id vero non puto eum cuiquam facile persuasurum. Nam nimis dura foret hæc loquendi ratio, pro *immittere pedem* in terram aliquam vel regionem, dicere calceum projicere in aliquam terram, ut denotetur, calcabo eam terram tanquam mihi subjectam. *In Edom extendam calceamentum meum*, h. e. subjiciam, exponit quidem Benedictus Balduinus, quomodo & Brentius, *proferre calceamentum* voluit esse *proferre imperium*, & *subjicere sibi terram*, quam pedibus calcaveris. Sed verbum *ἔτενω* extendere vel *proferre* non notat. Habent quidem Græci: *ἐπὶ τῆς Ἰδουμαίας ἔτενω τὸ ὑπόδημα μου*: & eos secutus Vulgatus, *in Edom extendam calceamentum meum*: sed Hebræum vocabulum *mittere*, *projicere*, non *extendere* notat. Tum *extendere*, vel *proferre calceamentum*, quid sit, omnino non capio. Qui terram aliquam calcatur, & cum calceis incedit, viam quidem conficit, sed an ideo dici possit *extendere*, vel

vel *proferre calceamentum*, in signum  
 subjectionis, & extendendi fines  
 imperii, non intelligo. Neque  
 etiam *calceum projicere*, est *subjuga-*  
*re, & vel pedibus subicere, & hæ-*  
*reditario jure possidere*, uti notarunt  
 Belgæ interpretes. Quos miror  
 conferendum notasse locum, qui  
 in historia Ruthæ legitur. Nam,  
 cum ipsi observaverint, *extrahere cal-*  
*ceum* signum fuisse cessionis de jure,  
 omnino contrarius hinc eliciendus  
 esset sensus in Davidis dicto. Ne-  
 que enim David indicaret, *subju-*  
*gabo, & hæreditario jure possidebo*  
*Edomum, & pedibus meis subjiciam*,  
 sed cedam omni jure & dominio,  
 quod in Edomæos habeo, uti is  
 qui extrahebat calceum & proximo  
 dabat, eo ipso ostendebat, se ce-  
 dere omni jure sive dominio cal-  
 candi fundum & possessionem,  
 atque in alium conferre, uti hæc  
 est verissima sententia de antiquis-  
 sima cerimonia, quæ in Ruthæ  
 historia legitur, uti superiori ca-  
 pite prolixè ostendimus. Rabbini  
 celebres David Kimchi & Aben  
 Ezra mihi quoque non placent.  
 Nam *in Edom projiciam calceum*  
*meum,*

*meum*, aliud quid est, quam *Edomum conculcabit pes meus*, nempe uti ceruices hostium devictorum calcantur, quod Chaldæus innuit. Ad tam figuratam loquendi rationem confugere non est opus.

Bald. de  
Calc. Ant.  
p. 244. &c.

Lips. in  
Monitis &  
exemplis  
polit. c. 17.

VI. Doctissimus Balduinus etiam alium refert veterum morem, ex quo sensum hujus dicti exponit. Postquam observasset apud Arabes calceum sibi detractum in alium jacere, servandæ fidei signum & pignus esse certissimum, atque ei rei firmandæ adduxisset exemplum, quod, referente clarissimo Lipsio, Lusitanicæ narrat historiæ, de Raho quodam Benxamutio, viro inter Arabum duces insigni, qui cum in Marochiensi agro castra & de more familiam haberet, irruentibus Lusitanorum copiis, cum se imparem videret, dolens mæstusque primum uxorem patiebatur abduci, mox vero, cum ab ea indignabunda illi ignavia & perfidia exprobraretur, acrioribus incitatus stimulis, statim, ut de more gentis erat, calceum sibi detractum in illam jecit, & simul equites, quos ad septuaginta rap-

tim